Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1041
Quelle:
Copyright:

certe nostram miseriam. nec pudor mihi obstabit; Cotidie nos hostis armis circumtonat. continua rerum nos adterunt dispendia. famis quoque inaudita penuria per omnem nostram crassatur regionem. His et aliis innumeris pro peccatis nostris adtriti calamitatibus. oramus ut manum largissimam ad nos usque dignemini extendere; Hoc siquidem meritis uestris condecet. et nomini ac gloriæ uestræ non parum proficiet. sed et nos in eternum. et fidelissimos seruos et deuotos oratores uobis acquiret. Vides Principem aliquem, *Ludovicum Pium*, aut unum e Filiis, sententiam *Rabani* de *Suffocato* exquisivisse. *Famis* mentio Scriptum istud anno 850. adfigere videtur. Adi *Mabillon. Act. SS. O. B. Sec. IV. P.* 2.

XVII. *fol.* 107. Nova Dissertatio in illud *Matth.* XII. *Marci* III. *Lucae* XII. *Qui blasphemauerit in spiritum sanctum* &c. Initium: *Queritur cur Dominus dicat. qui blasphemauerit* &c. *cum nulli desperandum sit de magnitudine peccatorum suorum* &c. *Augustini* in hoc solvendo autoritate utitur, atque inter alia Spiritum S. a Patre Filioque procedere, et quaedam esse peccata levia, quae post mortem remittantur, adserit.

XVIII. *fol.* 107. p. 2. *Querunt quidam quare peccatum quod cum tempore committitur. sine fine punitur.* Respondet *Rabanus*: *Sed Deus non ad opera hominum. sed ad uoluntates attendit. qui semper uiuere. et semper peccare uellent. si possent* &c. Item respondet ad Quaestionem: *Cur in epistola. quę ad hebreos dicitur. non preposuit nomen suum apostolus. sicut et in cęteris?* Utrumque breviter.

XIX. *fol.* 108. *Questio de Adoranda Cruce.* Initium: *Cum a te propositam mihi carissime lupe. de adoranda cruce questionem soluere. et curiositati tuae quamuis animo oppido perturbato satisfacere conarer. orta est ex ipsa quam facilem exstimaueram solutione. questio longe ualidior. atque amplexior. de adorando uidelicet deo* &c. Huic initio manu Sec. ut videtur, XV. ad marginem adscriptum: *Lupus seruatus presbyter ad quem Rhabanus 8 libros in epistolam Ro. pauli scripsit. Lupus* hic in *Fuldensi* Coenobio olim sub *Rhabano* sacris studiis vacans, Abbas postea *Ferrariensis* in Dioec. *Senonensi* creatus est an. 838. de qua re epistolam dedit ad *Rabanum*, quae T. XV. *Bibl. PP. Lugd.* p. 20. ordine XL. est. De praesenti vero *Quaestione* tam in hujus, quam in illius rebus altum, quod sciam, silentium. Et *primam* quidem Partem ita tractat Noster, ut et exemplo Servatoris, et Formula ab eo praescripta urgeat, solum Patrem adorandum et invocandum esse; ubi vero, et in quibus orationibus Christo domino id est filio sit supplicandum, item de Sanctorum invocatione, nihil decidat, sed dicat: *se nodum impegisse. quem nisi diuinus esset, berculaneum appellarem.* In